



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An, & quam vim probandi habeant Testes de credulitate?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

monialibus, ubi agitur de valore matri-
monii, quia in hoc casu vertitur pericu-
lum animæ, in illo casu publica vindicta
juramentum exigit, prout etiam pub-
licum bonum tale juramentum exigit,
si agitur de beneficio Ecclesiastico.

§. III.

*De forma & modo, quo testes de-
ponere debent, & quomodo delicta oc-
culata per testes probari
possint?*

Testes præsentes quidem in loco ju-
dicii testimonium rogati, & à parti-
bus producti deponere debent, non ta-
men in scripto, sed vivâ voce, de his,
quæ alioquin sensu corporeo percepérunt,
prout haberut in *Can. Testes 15. Caus. 3.
9. juncta Gloss. V.* Qui noverunt (ut
Judex scilicet cognoscere possit, quo
vulnus, quæ constantia vel trepidatione
&c. testimonium deponant) nisi consus-
tudo, aut necessitas aliud jubeat.

Delicta occulta, uti est forniciatio, ad-
ulterium &c. probantur quidem per
testes juratos, sufficit tamen, si depo-
nunt de auditu, & de indiciis, quæ criminis
talia comitantur, vel præcedunt, & com-
muni fama adjuventur, ita tamen ut pro-
diversitate circumstantiarum, aut causæ
major vel minor probatio sufficiat; mul-
tum tamen hac in re, quæ evidenter pro-
batum non potest, Judicis arbitrio relin-
quitur.

•S* *S•

SECTIO III.

*De Testibus, de Credulita-
te, & singularibus; & testibus
inter se, vel sibi ipsis con-
trariis.*

§. I.

*An, & quam vim probandi ha-
boant Testes de credulitate?*

Testes, qui non deponunt, quod rem
sciant proprio sensu perceptam, sed
quod credant ita se habere, eo quod à
Viris fide dignis audiverint, dicuntur
testes de credulitate, quibus etiam plu-
res eorum sint, qui taliter jurati depo-
nunt, fides tamen plena non habetur
(quia testis de sua non de alia scientia de-
ponere debet, de illis scilicet quæ ipse
vidit, vel audivit, non de illis, quæ ex alio-
rum relatione didicit, quæ depositiones
multis plerisque conjecturis, quibus
periculum fallendi subest, nituntur). Et
iam fama publica cum tali depositione
concurrat e. Tam literis 33. h.t. juncta Gloss.
V. de audiū. Admittuntur tamen etiam
testes de credulitate eorum, quæ ex alis
audiverunt, ad fidem aliquam faciendam
in casu necessitatis, si suæ credulitatis ra-
tionem reddant; in causis quæ directè
probari, & certò cognosci non possunt;
ad probandam rei innocentiam, si con-
currant alia adminicula, præsumptiones,
vel indicia; si deponant super factis an-
tiquis, æratem hominum de facto viven-
tium excedentibus, si deponant de illis,
quæ facta sunt tempore pestis; si depo-
nanti ad probandam consanguinitatem,
vel affinitatem &c. saltē si agatur ad vi-
tandum

tandum peccatum, & conditiones requi-
fitas in c. *Licet* 47. b. t. habeant, ac de-
ponant ab eadem persona, & quidem eo-
dem loco ac tempore &c. audivisse se; &
in quibus casibus, si non in omnibus ple-
na fides ex talium testium depositione
habeatur, potest tamen infamato, & con-
tra quem taliter depositum est, indici
purgatio canonica, uti patet ex cit. c.
Tam Literis &c.

§. II.

De Testibus singularibus; eorum-
que probatione.

Contestes in hac materia dicuntur illi,
qui unum idemque factum testan-
tur, singulares vero testes dicuntur illi,
qui de diversis factis testantur; & haec
testium singularitas alia est adversativa,
si dicta eorum testimonia, vel deposicio-
nes inter se repugnant. Alia est diver-
sificativa, si testes deponent de factis
non contrarijs sibi invicem, sed diversis
& nihil se mutuo jenantibus, prout fa-
ctum est in casu *Capituli Cūm tamen* 16.
b.t. Alia denique testium singularitas est
cumulativa, sive admixtiva, si depo-
nent se, testes de actibus diversis, se
mutuo tamen adjuvantibus, quia deposi-
tiones talium testium diversè quidem
sunt, ad eundem tamen finem tendunt,
ut si de possessione agri sit quæstio, &
testetur unus vidisse se Titum seminasse
agrum tam, aliis vero testetur vidisse
se, quod Titus hunc ipsum agrum mes-
surerit. His notatis.

Certum est primò, testes ut plenam
fidem faciant, non debere esse singulares,
contraria, vel diversa proflus testifican-
tes, sed debere esse contestes de uno eo-
dè que facto in specie testificantes,

prout habetur, ex c. *Bona* 23, de illis
ex c. *Cūm dilectus* 32. eodem juncto *Glo-
sā V. Probatio. Et ex eis. c. Tam Literis*
juncta Glosa V. foli. Ita ut non tantum
in substantia delicti convenire debent
testes, sed in tempore etiam & loco ut
plena ad condemnandum reu-
niendum pñna ordinariā fidem
ciant. Possunt tamen magnam con-
Reum præsumptionem facere, si de
versis actibus diverso tempore factis
ponant; & si deponant de diversis
actibus, muto tamen se adjuvan-
bus, possunt non tantum in causis
plene nonunquam probare, &
etiam in causis criminalibus, usig-
ratur de actu sua natura successivo,
iterabilis, & hic testatur se hodie vidi-
in tali loco v. g. *Titum*, alter reha-
altero se die in eodem loco vidisse *Titum*
&c. vel si testatur hic, ex occasione
turbatum exire se vidisse *Titum*,
alter testetur vidisse se fugientem
Titum. Tertius testetur de occisi & la-
longa inimicitia.

§. III.

An, & quando probent testes in-
se contrarij?

Nihil probant, si duo tantum pro-
cantur, & hi sibi invicem contra-
rientur in suis depositionibus (cūm ut si
pro utraque parte contradictionis una
habeatur testis tantum) nisi alter cedat
in tantum prævaleret alteri dignitate, &
vitæ bonitate, ut *Juramentum ipsi de-
fieri posset à Judice in supplemento
probationis*, cūm sapientia non tam ad-
teriam, quam ad qualitatem testium de-
pendendum sit, & hinc si plures testi
proba-